

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* 4 \*



- I. Exordium Theologicum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti con-  
secratum à M. Zacharia Wommengiero.
- II. Causarum coniectio, quibus moti Status Regni Bohemiae ad Novi  
Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. Exortatio ad Christianum Daniae Regem Fran. Angelii.
- V. Soteria Academiae Witebergensis Johanni Georgio Electori Sax. soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Princi-  
pis Anhaltini M. Meeri Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Tur. & Edem.
- VIII. De Vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdssami.
- IX. Narratio Uxoriz de Johanni Georgio Principi Anhaltini Vita et Obitu.
- X. Halitodonia Tremisq. Francofurtanae D. Cyriaci Herdssami.
- XI. Casparis Romani Euergetes Christianus de Vita et Morte Georgii  
de Sonais.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samueles Dresenii.
- XIII. De Aeris Salubritate et Studiorum Commotitate in valle Franckini-  
gi Eiusdem.
- XIV. De Erustione, Utrum Literarum Cultorib. pht peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottoniae M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De Vita et Morte Joachimi Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Euerhardi incho. gno. funere sublata.
- XVIII. Programm. Publicum Academiae Francofurtensis.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdssami.
- XX. De Ratione Status et Prudentia Regnatia Martini Milagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianij de Schließen
- XXIII. Exequis Solemnes Johanni Christophori Herdssami.

~~XVII~~ 6. 28. 27

ELECTORALIS  
GYMNASII  
BRANDENBURGICI  
quod est in valle  
JOACHIMICA  
LEGES.

Platon Theage

ὅτι ἐστὶ πρὸς ὅτι θεοτέρας ἂν ἀνθρώπων βελεύσαστο,  
ἢ πρὸς παιδείας, ἢ αὐτῶν ἢ τῶν αὐτῶν οἰκείων.

*Non est quicquam divinius, de quo homo consultet,  
quam de reſta ſui ſuorumq; institutione.*

Excudebat  
FRIDERICVS HARTMANNVS  
Chalcographus & librorum venditor in  
Academia Septemvirali Brandenburgica.  
ANNO M.D.C. XVII.



18.

GYMNASII  
BRANDENBURGICI

quod est in valle

JOACHIMSTADT

LEGGES

Platonis Theaetetus

Platonis Theaetetus  
in quo de veritate  
et falsitate  
et de scientia  
et de arte  
et de philosophia  
et de moribus  
et de rebus  
et de hominibus  
et de deo

BRISGIAE  
GILBERTUS BRUNNENSIUS  
MDCXVII



LEGES DOCENTIVM  
IN ILLVSTRI GYMNASIO VALLIS  
JOACHIMICÆ,

I.

 **U**m Plurimum  
interfit tales præfici dis-  
cipulis Præceptores, qui  
in religione Sinceri, in  
vita honesti, in conversa-  
tione graves sint & modesti: Inter se,  
cumq; aliis quietè agentes: Id circo præ-  
cipimus ut singuli Præceptores formam  
teneant sanorum verborum, cujus sum-  
ma in scriptis Prophetis & Apostolicis  
comprehensa, & in Augustana confes-  
sione puriore aliisq; Lutheri & Philippi  
scriptis orthodoxis repetita & ad poste-  
ros translata est: huic subscribant, & lō-  
gum valere jusis heterodoxis & mor-

A 2

den-

dentibus atq; Ecclesiam turbantibus scri-  
ptis, fidem Christianam constanter tueatur  
& propagent.

## II.

**V**itam domi ac Publicè eam instituant,  
quæ sit ἀνέγκλητος: ut non verbis dun-  
taxat, sed moribus etiam juventu-  
tem doceant, juxta Aphorismū Nazianzeni:  
*ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τοῖς ἱερέοις, aut non doceto,*  
aut doceto moribus.

## III.

**A**ment sese mutuo, neq; cavillationi-  
bus & insectationibus, sive privatis  
sive publicis, alter alterius existima-  
tionem diminutum eat. Sed sincera bene-  
volentia devincti, si quid reprehensionis in  
altero occurrit, candidè moneant, seq; i-  
pso invicem sublevent, & iuxta vocem A-  
postoli, alter alterius onera portet. Gal. 6.

## IV.

Si

**S**i diffensiones fortè & altercationes fuerint inter Collegas ortæ, componantur, priusquam ad alios, inprimis ad discipulos emanent: eaq; semper detur opera, ne aliis, maximè paruulis offendiculum sine scandalum aliquod præbeatur. Saluator enim Matth: 18.7. væ denunciatur illi, per quem Scandala veniunt.

V.

**R**ector Gymnasii, aliorum se velut ἐπι-  
σκόπων aut inspectorem præbeat diligentia, gravitate morum, omnium virtutum exemplo præeat; συνέργους suos fraternè complectatur, humaniter tractet, negligentes incitet, delinquentes vel solus vel in præsentia Collegarum reliquorum reprehendat, & ad utilitatem salutemq; publicam omnia referat.

VI.

**O**mnibus verò & singulis in Gymnasio  
hoc

hoc illustri docentibus iniunctum esto:  
ut methodum observent passim nunc usi-  
tata & iuventuti utilissimam, Aristoteli-  
co-Ramæam: Lectiones præscriptas nec  
intermittant nec mutent: prolixis com-  
mentariis discentes non onerent: repetiti-  
ones frequentes instituant; ad captum au-  
ditorum lubenter se accommodent: per-  
spicui sint & faciles: apertè loquantur, inq;  
eo toti sint, ut spem patriæ felicissimè edu-  
cent, inq; segetem uberem attollant.

## VII.

**D**isciplinam labi ne sinant: Paternum  
erga discentes animum induant, ne  
sint Orbilii, & nimium plagosi, Pa-  
ternè castigent meritos, affectibus suis, o-  
dio præsertim & iræ nimis ne indulgeant:  
& inprimis caveant, ne iuxta Fabii Quinti-  
liani verba; Pueri artes prius odisse incipi-  
ant quam amare.

## VIII.

Quæ

**Q**uæ iuventuti proponēda sunt, meditentur accuratè domi, nec effundant non præmeditata, ostentationis ergò: horæ spatium ita metiantur, ne dictatis totum conficiant, sed partem ejus repetitionibus & expositionibus attribuant: Ita enim nec scribentium defatigabuntur manus, nec fastidium animis oborietur atq; auribus: & major ad discentes fructus redibit.

IX.

**P**astorem loci venerentur & ament: Conciones ipsi nunquam (nisi valetudo obstet) negligant: nec carpant temerè & suggillent omnia, nec in rebus seriis ludant: *Ὁυ γὰρ χρεὶ παίζειν ἐν τοῖς σπουδαίοις*, in rebus seriis non est ludēdum, juxta gnomē Theodoretī.

X.

**T**heologica & Philosophica ne cōmisceant, ne *μίξις* illa vel *μίγμα* plusquam  
Anax

Anaxagoreum, confusiones pariat: ita vero coniungant: ut ancillari Philosophiam, prædominari ostendant Theologiam: illic rationem: hic auctoritatem æstiment divinam.

## XI.

**C**umq; necessaria semper ante ferenda sint non necessariis, videant, ne <sup>πάρεργα</sup> potius tractent, quam <sup>εργα</sup> & ingenio præsertim alacri, quod, juxta poetam, ingrata fert malè damna moræ, moras tristes producant. In singulis etiam artibus ac scientiis usum monstrent, quo iuventus cupidius eas discat, & uti tandem queat.

## XII.

**S**ingulis mensibus disputatiunculam, in prima & Secunda classe, pro captu discipulorum instituant, & quomodo vera confirmanda, falsa refutanda sint, citra

citra φιλονεκίαν placide ostendant. Mate-  
rias verò deligant non minus arduas, nec  
alienas & peregrinas, & paucis iisq; per-  
spicuis thesibus rem proponant.

### XIII.

**D**eclationum etiam instituant ex-  
ercitia frequenter, & non solum  
ad orationis puritatem & eleganti-  
am, Sed ad vocis etiam sonum apertum,  
ac concinnum ediscentes assue faciant, &  
ad usus publicos rectè conforment.

### XIV.

**A**discentibus nulla exigant δίδακτρα seu  
Minervalia, contenti stipendiis su-  
is: nec munera captent, quæ Sapi-  
entes etiam obcæcant, & in diversos tra-  
hunt affectus. Rectori tamen permissū  
est, ut pro inscriptione aut relatione pri-  
ma in catalogum, à Nobilibus vallensem,  
ab aliis pro modo facultatum vel 12. vel 8.  
argenteos capiat. **B**

XV.

**P**recibus matutinis & vespertinis discipulorum ordine intersint, ad devotionem precaturos hortentur & exemplo suo stimulent.

XVI.

**I**n cænobio sive cœnaculo attendant, ne quis sine *ἐνλογία* Mensæ accumbat, neq; sine *εὐχαριστία* recedat, utq; latinè inter se conuescentes loquantur ac modestiæ leges obseruent.

XVII.

**C**ontubernia vel habitacula singulis Septimanis visitent, quos libros habeant, explorent: ad mundiciem atq; honestatē singulos commo nefaciāt.

XVIII.

**A**niversaria Gymnasii Encænia, quotannis in memoriam fundatoris celeb-

celebrent, oratione aliqua publicè habita,  
vel carmine recitatio.

## XIX.

**Q** Volibet semestri catalogum edant  
eorum quæ intra sex menses expli-  
caturi aut lecturi sunt.

## XX.

**A**D Examina publica sub tempus vi-  
sitationis auditores suos diligentis-  
simè præparent.

## LEGES DISCENTIVM :

### I.

**D**ietatem ante o-  
mnia qua sine *ὄνις σοφία*  
est *πανεργία* Studiosè co-  
lant, & perpetuo cogi-  
tent, Sapientiæ initium  
esse timorem DEI.

B 2

Sac-

II.

**S**acras literas ament legant, ediscant, & in Colloquiis sacris vel disputationibus ad normam sacræ scripturæ omnia referant.

III.

**L**ibrum, quē Corpus doctrinæ Christianæ appellant, à Philippo Melancthone conscriptū, & veluti Symbolum quoddam Ecclesiarum sinceriorū, quæ doctrinam fidemq; Evangelicam Dn: Lutheri, aliorumq; DEI servorum operā & ardenti Zelo à sordibus Pontificiis, aliisq; repurgatam hactenus amplectuntur, editum, adultiores iuxta Biblia sibi comparent: ut maturè, quid in singulis articulis controversis credendum, quid reijciendum sit, addiscant.

IV.

**H**æreticorum libros, βλάσφημα, impura

ra Magica, amatoria, omninò secum ne habeant, & sicubi inter suos cõmiliones esse intellexerint, ad Rectorem deferant.

V.

**A**Rrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Photinianorum, Socinianorum, aliorumq; fanaticorum dogmata, neq; occultè, neq; apertè prominent; ab argutijs & Sophismatibus in rebus sacris planè abstineant.

VI.

**M**Anè dato signo surgant, ad preces sacras in cœnaculo concurrant; libros compositos habeant, strepitus, clamores & turbas, quibus aliorum studiis obsistitur, nunquam excitent.

VII.

**I**N Ludo suum quisq, locum occupet, *φιλήκοσ* sit *ἢ φιλομαθής*, ut non corpore solum, sed animo etiam assideat; & sciat

opus sibi esse γραφίδιω ἢ νῶ, βιβλίω ἢ νῶ calamo &  
mente, libro & mente.

### VIII.

**I**ussa Præceptorum studiosè accuratèq;  
subeant, admonitiones & illorum cor-  
reptiones boni consulant, inter præle-  
gendum ne aliena tractent, iis etiam ne-  
scientibus ab Auditorio ne recedant.

### IX.

**I**N publicum prodituri, liberalis & gra-  
vis disciplinæ exemplum præ se ferant,  
ut ipso etiam incessu, qui & quales sint,  
appareat.

### X.

**S**acris in templo reverenter adstent  
conciones piè attentèq; audiant, ut  
summam & dispositionem & præci-  
puas inde sententias iussi, recitare queant.

### XI.

Pasto-

**P**astorem & alios verbi ministros, quē-  
admodum universos etiam superio-  
res, debito honore & reverentia pro-  
sequantur.

XII.

**E**ucharistia sacra, sive sacra cœna, re-  
ligiosè & Sanctè & frequenter utan-  
tur.

XIII.

**P**riusquam Lectiones accedant, ad ea  
quæ audienda sunt respiciant & rele-  
gant.

XIV.

**O**rdinem studiorum, quid singulis  
horis sit faciendum, obseruent, ne-  
cessaria annotent, usum scribendi  
nunquam intermittant: *Ἐκ γὰρ τῆς γράφειν τὸ γρά-  
φειν, sicut ἐκ τῆς λέγειν τὸ λέγειν, hoc est, scriben-  
do scribimus, sicut dicendo dicimus.*

XV.

si-

**S**ingulis diebus memoriæ aliquid mā-  
dent, memores Apophthegmatis isti-  
us, quod est apud Clementem Alex-  
andrinum: *μεγίστη φυλακὴ τὸ μὴ ἐκγράφειν, ἀλλ' ἐκ-  
μανθάνειν* : summa hæc est custodia ediscere  
non exscribere.

## XVI.

**S**ermone tam apud Magistros, quam  
apud socios, Latino utantur, ut eum  
familiariorem sibi reddant atq; ex-  
peditiorem, & tam in comparanda lin-  
guæ facultate, quam in discendis artibus  
aliis, hanc perpetuam studiorum esse re-  
gulam meminerint ex Epicteto: *Εἰδέναι χρὴ,  
ὅτι ἑράδιον δέγματι, ἀνθρώπῳ παρὰ γίνεσθαι, εἰ μὴ κατ' ἐ-  
κάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ, καὶ λέγειν, καὶ ἀκούειν, καὶ αἶμα χερῶνται πρὸς  
τὸν βίον.* scire oportet, quod non facile sit  
homini dogma aliquod comparare, nisi  
singulis diebus eadem quis dicat & audi-  
at, & utatur illis in vita.

## XVII.

Ab.

**A** Blasphemiis, maledictis, mendaciis, furtis, ebrietate, crapulâ, ludis iocisque; turpibus, omni obscœnitate, omni turpitudine, longissime absint, & cogitent, quod Sapia maligam hominis mentem non subeat.

### XVIII.

**A** Rixis abstineant & altercationibus offensionum atq; simultatum causas nulli præbeant, ubi *φιλοεικία*, Ibi nec *φιλαλίθεια* nec *φιλομάθεια*.

### XIX.

**V** Estibus utantur decentibus, capillos ne crispent & ornent, nec antias alât, aut capronas, nec in puellarum aut fœminarum morem nimis prolixos crinos alant: omnem corporis cultum ad gravitatem & modestiam componant: & sciant alia aliis competere, & externum habitum interni animi non obscurum esse inditium.

C

con

XX.

**C**ontubernia & conclavia servent munda: surgentes stragula componant, sordes & quisquilias egerant, Inspectores intromittant, & ubiq; mundiciei atq; Honestatis se ostendant studiosos.

XXI.

**E**xtra sua cubicula noctu foris non morentur, diurno etiam tempore tabernas cerevisiarias vel vinarias non ingrediantur, nec sine licentia area Gymnasii egrediantur.

XXII.

**D**omum profecturi ad Parentes vel amicos, ultra octo aut ad summum dies quatuordecim non ab sint.

XXIII.

**A**n te curriculum quatuor vel quinque an-


annorum ne moliantur ab itum, sine con-  
sensu Illustrissimi, cui se obligatos sciant.

## XXIV.

**A**D Academias, de consilio Visitato-  
rum & Præceptorum, impetrato E-  
lectorali stipendio dimittendi, stu-  
diorum & vitæ testimonium dari sibi pe-  
tant: Publica oratione gratias agant in  
Gymnasio, & ad perpetuam tanti benefi-  
cii memoriam se adstringant.

## LEGES CONVESCEN- TIVM IN COENOBIO.

### I.



Inguli nomina  
sua profiteantur apud  
Curatorem nec in cœ-  
naculum quenquam ad-  
ducant secum, sine illius  
permissione. C 2

II.

**M**ensæ suo loco quisq; modestè accumbat, sine strepitu, clamore, risu, iocis & ineptiis.

III.

**A**d preces priusquam ad patinas ferantur, & recitantem *εὐλογίαν* tacita devotione sequantur, legentem caput ex Bibliis sacris attentè audiant.

IV.

**O**rdine autem preces cum ante timum post cibum recitandæ sunt à singulis, sicut & prælectio capitis iuxta ordinem confidentium instituenda.

V.

**I**n prandio & cœna ne sint *πολυφάγοι*: lancem plenis adhuc buccis ne involent, crustam panis ne præscindant, aliis ne præripiant portiones suas, sed & frugalitatis

tatis & sanitatis rationē habeāt potissimā.

VI.

**C**ollocuturi Latina tantum sonent,  
nec unquam in cœnaculo mater-  
no utantur sermone.

VII.

**E** Mensa nihil secum auferant, nihil  
aliis afferant, sed in culinam potius,  
si quid residuum, afferri sinant.

VIII.

**S**vpellectilem mensæ ne lacerent aut  
conscindant, orbes ne frangant, nec  
cantharos perdant, alioqui ad resti-  
tutionem damni fuerint cogendi.

IX.

**I**mmodestiam in victu, & leviora deli-  
cta nummulis quibusdam inter se mul-  
tent, qui collecti Rectori offerantur;  
graviora autem & enormia ad Rectorem  
deferant.

C 3

X.

**C**vratorem ament & obseruent, eosq; omnes qui œconomix præsunt humaniter tractent, non expostulent, non verbis odiosis excipiant: Sed si quid inciderit controversiæ, Rectorem moneant.

XI.

**F**amulos ne ledât, & vesperi ante decubitū singuli suos cātharos abluēdos illis & in culinā transferēdos tradant.

XII.

**A**symposiis & comotationibus tum in contuberniis tum in Gymnasio maxime abstineant.

XIII.

**L**ychnos ardentis probè obseruent tum in cœnaculo, tū in cubiculis suis ne quod inde toti ædificio damnum surgit irrecuperabile.

**S**erenissimus & cle-  
mentissimus Prin-  
ceps ac Dominus,  
Dn: Johannes Si-  
gismundus Marchio Bran-  
denburgicus, S: Rom: Im-  
perii Archicamerarius &  
Electoꝝ: Borussiæ, Iulii, Cli-  
viæ, Montium: Stetini, Po-  
meranorum, Cassubiorum  
Vandalorum: Carnoviæ &  
Crosnæ in silesia Dux: Burg-  
gravi9 Norinbergic9: Prin-  
ceps Rugiæ: comes Marca,  
Ra-

Ravensburgi & Ravenstei-  
nii Dominus: Leges hasce &  
statuta Gymnasii in Valle  
Joachimica extructi, manu  
confirmavit sua, Publice  
que promulgari, & perpe-  
tuum observari iussit, reser-  
vata tamen sibi vel adden-  
di vel adimendi Potestate.

Nh 122




ULB Halle 3  
002 714 272




st

1017







~~XXIX~~ 6. 28. 27

*ELECTORALIS*  
**GYMNASII**  
**BRANDENBURGICI**  
quod est in valle  
*JOACHIMICA*  
**LEGES.**

Platon Theage

ὅτι ἐστὶ πρὸς ὅτι θεοτέρας ἀν' ἀνθρώπων βεβλήσασα,  
ἢ πρὸς παιδείας, καὶ αὐτῆς τῶν αὐτῆς οἰκείων.  
*Non est quicquam divinius, de quo homo consulat,  
quam de reſta ſui ſuorumq; institutione.*

Excudebat  
**FRIDERICVS HARTMANNVS**  
Chalcographus & librorum venditor in  
Academia Septemvirali Brandenburgica.  
*ANNO M.D.C. XVII.*

